

*Miroslav KRLEŽA:*

I) VESPER GRAVIS IMBRE

Vesperascente caelo cruentus fuit impetus nubium  
Populi perterritae demiserunt capita  
ut homines certiores mortis facti.  
Turbo spiras cinereas in albo tramite vibrabat.

Ardentes lucernae flaventes  
coloribus crepusculi ardebant.  
Et dies ex vita egressus  
sulphureo igne combustus.  
\* Et nunc tristis vesper imbre gravis flet  
cantiunculas placidas ac lentas,  
dum tectorum lumina ardent.

II) NOX IN SALICTO  
TEMPORE VERNO

Salices nigrae tacent ut terricula nocturna  
et Luna magnam nubem percutit.  
Lumen ardet et extinguit  
ac grana stellarum maturescunt.  
Turbo in salicibus flet  
et lucernam flavam  
lumen lunae oscillat.  
Cogitationes meae sunt tepidae.  
ut palmae mulieris iuvenis  
Cogitationes meae sunt tepidae.  
Ut aqua veris influunt  
et uspiam aqua profluens in anima mea murmurat.  
O aqua profluens animae meae, o praesensio verna!  
Heu, clamo in lumine lunae in deserto salicto  
et undas argenteas calco  
et luminibus nitidis caelorum pila ludo  
et in sublime iacto.  
Ut pellucens umbra in agris gradum corripio et clamo.  
Salices nigrae tacent et Ver Magnum,  
placidum, luna plenum, aeternum  
circumvolat et faustam precationem  
fert manu nitida.